Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Dicebant ergo quidam de discipulis eius ad invicem: Quid est hoc quod dicit nobis modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me? Et quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod loquitur modicum? Nescimus quid loquitur. Cognovit autem Iesus quia volebant eum interrogare, et dixit eis: De hoc quaeritis inter vos quia dixi modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me? Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Cum autem genuerit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Omne datum optimum et omne donum perfectum desuper est, descendens a patre luminum, apud quem non est commutationis nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius. Iacobus fides mea dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum et tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam dei non operatur. Propter quod abicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiae in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.

Allelu. D. d. i. d. s. Ad eum qui me misit, et nemo ex vobis interrogat me: Quo vadis? Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio: de peccato quidem, quia non crediderunt in me; de iustitia vero, quia ad Patrem vado et iam non videbitis me; de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem